



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 141. Quomodo pietas excuset.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

validè dispensat Episcopus & ejus Vicarius pro omnibus Diœcesanis, Parochus pro Parochianis, Superior pro subditis, non tamen pro famulis sæcularibus; Papa pro omnibus, etiam finè causâ, sic tamen dispensans peccare potest: Deinde qui potest dispensare potestate ordinariâ, potest suas vices alteri delegare, dicendo, si ille approbaverit causam, dispenset: Si autem ipsemet habeat potestatem delegatam, non potest subdelegare, attamen dicere potest, dispenso, si ille causam approbaverit: Denique si causa moraliter certa excuset, non est opus dispensatione Superioris, nisi fortè ratione scandali, quod oriretur, si publicè laboraretur, *Tamb. L. 4. c. 3. §. 2. à n. 31. Vide Leurenium P. 1. Quæst. 437. num. 2.*

Q. 140. *Quid circa consuetudinem.* R. Hoc unum, 585 quod per consuetudinem videatur nunc licitum molere, non tamen advehere frumenta vel farinam avehere: non ubique tamen est talis consuetudo. *Escob. & Stoꝝ* per consuetudinem excusant etiam eos, qui tempore messis die festo sub vesperum acuunt falcem, vel præparant materiam pro labore sequentis diei necessariam.

Q. 141. *Quomodo pietas excuset.* R. Propter hanc 586 licitum est die festo fodere sepulchrum pro mortuo illo die sepeliendo, *Illsung T. 5. num. 167*; item veniale tantùm esset erigere sepulchrum Christi, præsepe vel moles artificiosas ad excipiendam Eucharistiam, licet die præcedenti fieri potuisset; item collocare scenam in Ecclesiis ad repræsentationem sacram, *Tambur. num. 3. Illsung supra.* Dubitatur autem, an excuset voluntas vitandi orii; negant *Suar. Comit. & alii*, quia opus, quod ex se est servile, manet tale, quamvis fiat pio fine: è contrâ à mortali excusant *Sa, Silv.* aliique
cum

cum *Burgh. Cent. 1. Cas. 77.* quia si liceat laborare ad vitandum damnum temporale, magis licebit ad vitandum malum spirituale, quale est otium sed dicendum est cum *Sanch. in Conf. L. 5. c. 2. De Castrop. Tamb. Illsung* supra, tum tantum licitum est laborare vitandi otii causâ, quando aliter vitare non posset aliqua tentatio, si enim liceret præcipue ad vitandum otium, etiam liceret quibusvis opibus, ne otiosi essent, aut saltem ne ad popinas, aut ad alias periculosas conversationes irent, uti refert *Steph. T. 1. D. 5. n. 154.* Denique ex *Cap. Conquestus de Feriis*, plures apud *Sanch. D. 21.* docent opera servilia ob pietatem, vel Ecclesiam vel Monasterium vel Pauperes alendos absolute esse licita, limitant *Sily. & alii*, exceptis Dominicis & Festis solennioribus: Alii excipiunt solam Dominicam Paschæ & Pentecostes; sed hæc omnia melius negantur, nisi prout dicitur *Quæst. seq.*

587 Q. 142. *An Charitas excuset laborantem pro paupere.*

R. Excusat laborantem pro tali paupere, cui ratione gravis necessitatis tum liceret laborare: debes autem scire, quis determinatè sit ille pauper, cui laboras, *Sanch. D. 23. & alii, Ills. Tamb. §. 3. n. 16.* qui Dominicis otii vitandi causâ volentibus laborare die festo, rectè suaserit, ut laborarent pro tali paupere, aut etiam pro Ecclesia in gravi necessitate constituta, tum enim excusabit Charitas.

588 Q. 143. *Ad quæ præterea se extendat excusatio ab necessitate.* R. §. 1. Ob hanc licitum est laborare in messe, foeno, vindemia, quando aliàs ratione tempestatis & pluviarum probabile damnum timeretur, *Illsung T. 5. n. 167;* item ad cavendum grave damnum aliud: non esse autem licitum ob extra-ordinarium lucrum, docent *Suarez & Castrop. T. 9. P. 10. n. 3,* sed probabiliter putant licere